




# Ultraiectum

Kaart van de provincie Utrecht, Abraham Goos, 1616 (1628)

<https://hdl.handle.net/1874/20545>

V L T R A I E C T V M.

446



UTR-1

## VLTRAIECTUM

explicatis ad ipsam urbem accedamus. Cingitur hæc  
ditio à Septemtrione, occasu & meridie pæne omni ex  
parte Hollandiæ Comitatus finibus: ab ortu terminatur  
Ducatu Gelriæ. Solum ejus bonum est & fertile, quod  
ut editum magis & siccum est, ita etiam multo quam  
Hollandicum excultius, & ad segetem opportunius.  
Numeratur hic quinque urbes muris cinctæ, videlicet,  
Utrechtum, Batavodurum, Rhena, Amersfordia & Mont-  
fortium. Utrechtum Metropolis Provinciæ nomen  
sortitur, teste Hadriano Iunio, à designatione quadam  
qua utebantur Romani in exercitibus Rheno adjacen-  
tibus. Eo enim loco quo hodie urbs sita, erat Legio tri-  
gesima quinta, quod verbis hisce abbreviatis significaba-  
tur. v. TRIG. LEG. STAT. id est Quintæ trigesimæ legionis  
Statio: at imperiti linguae Latinæ, conjunctim disjun-  
genda legentes pronunciabant *Vtricstat*, mediae enim  
literæ *LEG* exesæ erant & negligebantur. Hoc vocabu-  
lum *Vtricstat* postea deflexum est in *Utrecht*. Ne hoc mi-  
rum videatur, cum & urbs *Canicstat* in Suevia, ducatur à  
notatione hac veteri, *LEG. ANT. STAT.* id est, *Legionis Antoniane Statio*. Iudicatur & Antonine vocabulo alias eam  
claruisse, ab Antonino Senatore Romano qui relicta, ob  
Neronis tyrannidem, Roma, & in oras istas delatus, ur-  
bem inibi hanc condiderit. Hinc *Wiltios* vastasse excita-  
ta ibi amplissima quadam arce, quam de suo nomine  
*Wiltenburgum* dixerunt, eam arcem vi & manu armata  
expugnavit *Clotarii* filius *Dagobertus*, & validius multo  
quam antea communitam *Trejectum* vocavit, quod mul-  
tus ibi committit transitus, & portoriis dependen-  
dis telonium. Quod hisce versiculis in Templo Divi  
Martini extantibus docetur:

*Circumquaque fluens Hollandia gurgite Rheni*

Cingitur, Oceani fluminibusque maris.  
In qua cum muris urbs Antonina novellis  
Tempore Neronis adificata fuit.  
Hanc devastavit fera flamma gens, & ibidem  
Castrum Wiltorum conditum inde novum.  
Turribus excelsis quod adhuc plebs Abroditorum,  
Funditus evertens diruit usque solum.  
Hinc Trajectense castrum cum mœnibus altis  
Conditur à Francis Christicolis: sed idem  
Vulgus Danorum confregit humo tenus, omnes  
Cum Clero cives insimul ense necans.  
Denique Baldricus Praeful nova mœnia struxit,  
Quemodo subsistunt auxiliante Dco.  
Sic Hollandensi terra veraciter omni  
Trajectum constat urbs capitalis adhuc.

Hic Episcopus Baldericus à quo cinctam muro ur-  
bem hoc carmen memorat, cognomento dicebatur *Cli-  
rensis*, qui à Carolo Calvo Francorum Rege eodemque  
Imperatore, ob reparatam Ecclesiam Cathedram, &  
bene administratum Episcopatum, summa jurisdictione  
& dominio in urbes Daventriam & Tielam adjunctis  
omnibus ditionibns & territoriis donatus est. Antonia-  
nam olim dictam hanc urbē liquet non tantum ex istis  
versibus supra relatis. Sed & variorum scriptorum testi-  
moniis, & nummorum lapidumq; antiquorum, ac mo-  
numentorum olim repertorum inscriptionibus. Dubita-  
tur tamen num istud nomen ab Antonio illo Senatore  
Romano sit derivatum: Quidam enim asserunt ita fu-  
sse appellatam à Marco Antonio Cæsaris tum in Gallia  
Legato, qui postea cum Octaviano Augusto & Marco  
Lepido regimen totius Reipublicæ Romanæ sibi adsci-  
vit: alii